



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXIV. De Clerico Venatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

pletior, *l. Sancimus cit. § 1. Licet, §. 12. ff. de Peculio.* Unde, cum *c. cit.* pater absolvitur à præstanda pœna pecuniaria filii impuberis, sive 14. annis non majoris, non rectè contrarium infertur de pubere sive ætate illa majore; quia illati contrarium Jure est expressum.

Neque aliud persuadet ratio dubitandi; quia, superstitè patre, filio legitima non debetur, *l. 1. §. 21. ff. de Collat. honor.* Unde filius, ex quibus pœnam solvat, pro-

pria bona non habens, aliter quàm multatâ pecuniariâ plectendus erit; ut peccatum suum teneat authorem, *c. Quæsit 2. de Hæ. que à majori*: idque verisimilius, non obstantè statutò vel consuetudine contrariâ; quia ista, cum degeneri filio, patrem facultatibus suis spoliandi, licentiam concedat, rectæ rationi non satis consentanea videtur Menochio *Consil. 100. n. 119.* Barbosa *in c. 1. cit. n. 8.* & Harprecht. *in §. fin. Instit. de Noxal. act. n. 12.*



TITVLVS XXIV. De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

1. Venationis divisio in Oppressivam, Arenariam & Sylvaticam:
2. Et istius in Quietam & Clamorosam:
3. Quarum prior clericis licita:
4. Posterior illicita est,
5. Jure Ecclesiastico eam vetante.

Sequuntur delicta, quæ in Clericis solis vel deprehenduntur, vel specialiter reprehenduntur: & imprimis quidem venatio, cujus à Sylvestro, *V.*

Venatio pr. & Sebast. Medicæ *de Venatione Sc. q. 1. n. 5.* tres species referuntur. Prima, Oppressiva, ab injusta hominum oppressione sic dicta & omnino illicita, *can. §. fin. dist. 6.* Altera Arenaria, quæ cum bestiis in arena depugnando exercetur: & si exerceatur pro quæstu, infamiam inducit, *l. 1. §. 1. V. Item. ff. de Populando, §. 3. Triv. post can. Infamia, 3. q. 6.* Postrema Saltuosa sive, ut etiam vocatur, Sylvatica quæ ad ferarum & volucrum, sicut ad piscium captionem piscatio, ordinatur, *Rubric. §. textus hinc.*

Ista & propriè dicta venatio rursus ^{2.} alia est Quæta, quæ sine strepitu, laqueis, retibus &c. atque etiam paucis canibus adhibitis lepores, vulpes, aliæque feræ minores, & aliquando etiam volucres capiuntur. Alia verò Clamosa seu clamorosa, quæ magnò armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultuque & vehementiâ apros, cervos aliisque, præsertim majores, feras, & aliquando etiam aves capiendò exercetur, Pirrhing *ad banc Rubric. n. 3.*

Harum priorem, si utilitatis aut corporalis necessitatis, vel etiam honestæ recreationis causâ & rariùs instituatur, personis etiam Ecclesiasticis licitam esse, cum Glossa *in c. 1. V. Voluptate*, censet Panormit. *in c. cit. n. 1.* & Sylvester *V. cit.* & non obscurè colligitur ex Tridentino, non omnes, sed illicitas duntaxat & clericalem statum dedecentes venationes atque aucupia clericis prohibente, *Sess. 24. cap. 12. de Ref.* Ratio est; quia venatio ex le actus sive res omnino indifferens est & permilla Jure Naturali, *arg. §. Fera 12. Instit.*

Instit. de Rev. divis. ac proinde debiti temporis, modi, finis &c. circumstantiis observatis & seclusâ lege Positivâ etiam Clericis licita.

Posterior autem sive Clamorosa Clericis, & præsertim Religiosis, ab Ecclesia severè prohibetur *c. fin. Clement. 1. §. Porro, de Statu monach. & Trident. cap. cit.* Imò propter eam sapius exercitum Episcopi tribus, presbyteri duobus mensibus à communione arceri: Diaconi verò ab officio suspendi jubentur *c. 1. cit.*

Neque cum hac poenarum disparitate pugnat; quòd *c. 1. V. Qui verò de Usuris in 6. ex pari delicto Episcopalis Ordinis Prælati minor; quam inferioribus clericis poena imponatur: & generatim in poenis infligendis & nobilitatis & dignitatis ratio habeatur; ut, qui majori conspicuus est, mitius puniatur, c. Pastoralis 28. pr. ibi; Dignitatis deferat, de Officio deleg. §. 1. Sacrelegij 6. pr. ibi; Aut si honestiori loco natus est, ff. ad L. Jul. Peculat. quia, ut Tiraquell. de Penâ temper. casu 37. ait, hoc verum duntaxat est, quando delicti gravitatem dignitas non adauget: non etiam, quando delictum ejus est naturæ; ut crescat ex ipsa delinquentis dignitate, & in istius contumeliam cedat; sicut cedere clamorosa venationis exercitium, ejusq; in clericis turpitudinem ipsa illi indulgentis personæ Pontificalis dignitas adaugere visa est Patribus Concilii Aurelianensis relati *c. 1. cit.* ut proinde meritò graviore censurâ Venatores Episcopos, quàm inferiores clericos duxerit puniendos, ut *in c. cit.* notat Gonzalez *n. 8. in fine.**

Eadem suspensionis poenâ etiam Subdiaconos, Glossa *fin. in c. 1. cit.* clericos verò minores arbitrio judicis plectendos, *arg. c. De causis 4. de Offic. deleg.* cum Hostiens. in *Summa, n. 4. & Anchorano tradit cit. Medic. q. 9. n. 8. & 9.* Ratio est partim; quòd, licet hujusmodi etiam venatio ex se

indifferens esse videatur, ob feritatem tamen, cædèsque referat speciem belli; atque idcirco valde aliena sit à gravitate morum, à mansuetudine & pace, cujus clericos & religiosos amantes esse, decet à partim verò; quòd per eam ab officiis Divinis & spiritualibus occupationibus abstrahantur; cum, qui venationis studio tenentur, diei curas & tempus primum, à clericis & Religiosis Deo & Divinis obsequiis debita, per vestigandis, insectandis, que & capiendis feris ac volucris impendant, Vivian. in *c. 1. cit.* Gonzalez *ibid. n. 7. & cit. Medic. q. 8. à n. 2.* causas hujus prohibitionis fati multas acervans.

Neque obstat primò; quòd clericis & Religiosis permisa sit piscatio, *can. Nunquam 32. V. Texantur, de Consecrat. dist. 5.* cui venatio in Jure æquiparatur, *arg. §. Flumina 2. & §. Fera cit. Instit. de Rev. divis.* quia, esto, Jure Civili utraque licita sit: non tamen cum clamore & feritate utraque, sed ferè sola venatio clamorosa exercetur; ut proinde clericis & Religiosis hujusmodi venatio ab Ecclesia jure optimo interdicta sit, permittâ piscatione, præsertim cum plures, & Apostolos etiam, post vocationem Joan. *cap. 21. à v. 3.* Sanctos piscatores: venatorem autem Sanctum in scripturis, ne unum quidem reperiamus, teste S. Hieronymo *can. Esau 11. dist. 86.* relatò.

Neque secundò textus *c. Cùm venerabili 21. de Censibus*, quò ab Innocentio III. mentio fit de spallis, hoc est, armis sive partibus ferarum v.g. aprorum aut cervorum, Du-fresne *Glossar. V. Spalla*, ab Abbate Episcopo pendendis pro licentia venandi; quia pendebantur non pro licentia venandi per se aut monachos suos, sed per personas extraneas & seculares: per quas venationem religiosi non interdictam, ex *c. Porro cit.* perspicuum est; Gonzalez *l. cit. n. 9.*

M m 2

TITUL